





22

DISPUTATIO INAUGURALIS  
PHILOSOPHICA  
DE  
ADSCENSUS VAPORUM CAUSSIS,

QUAM

ADSPIRANTE SUMMO NUMINE,

*Ex Autoritate MAGNIFICI RECTORIS,*

DAVIDIS RUHNKENII,  
HISTORIARUM ET ELOQUENTIAE IN ACAD.  
LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, &*  
*Nobilissimae FACULTATIS PHILOSOPHICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS ET MAGISTERII,

Summisque in PHILOSOPHIA ET LIBERALIBUS ARTIBUS  
Honoribus & Privilegiis, ritè ac legitime consequendis,

*Publico & Sollemni ERUDITORUM Disquisitioni subjicit*

EDUARDUS SPRY,  
ANGLUS-DAMNONIENSIS.

*Ad diem 20. Jan. Ccccclxxviii. horâ VIII ad X. in Auditorio  
Academiae majori.*



---

Pondere & Mensura Deus omnia fecit.

---

LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud SAMUELEM ET JOANNEM LUCHTMANS, 1768.

239 12/  
C II

CIC. Academ. Quæst. Lib. IV.

*Etsi omnis cognitio multis est obstruta difficultatibus, eaque est, & in ipsis rebus obscuritas, & in judiciis nostris infirmitas, ut non sine causa & doctissimi, & antiquissimi invenire se posse, quod cuperent, diffisi sint: tamen nec illi defecerunt; neque nos studium exquirendi desatigati, relinquemus. - - - Nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus.*

SENECA Nat. Quæst. Lib. VII. Cap. 31.

*Non semel quædam sacra traduntur. Eleusis servat, quod ostendat revisentibus. Rerum natura sacra sua non semel tradit. Initiatos nos credimus, in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscue, nec omnibus patent: reducta & in interiori sacrario clausa sunt, ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ post nos subibit, adspicet. Quando ergo ista in nostram notitiam perducentur? Tarde magna proveniunt, utique si labor cessat.*

V I R O  
*ILLUSTRISSIMO*  
**JACOBO COMITI DE MORTON,**  
NOBILISSIMI ORDINIS DIVI ANDREÆ EQUITI,  
REGIÆ SOCIETATIS LONDINENSIS  
PRÆSIDI ETC. ETC.

A C

V I R I S

*ERUDITISSIMIS*

EJUSDEMQUE SOCIETATIS ASSESSORIBUS GRAVISSIMIS

S W I T H . A D E E , M . D .

J . B U R R O W , V . P .

J . C A M P B E L L .

N O B I L I C H . C A V E N D I S H .

P E T . C O L L I N S O N .

P L U R I M U M R E V E R E N D O E P I S C O P O

S T . D A V I D I S V . P .

A . C O L T E E D U C A R E L , L . L . D .

S . D Y E R .

B . F R A N K L I N , L . L . D .

R . G R I N D A L .

P . H O L F O R D .

P R Ä N O B I L I C O M I T I D E H U N T I N G .

T O N .

G . K N I G H T , M . B .

N . M A S K E L Y N E , M . A .

M . M A T T Y , M . D . S E C R E T A R .

C . M O R T O N , M . D . S E C R E T A R .

N . M U N C K L E Y , M . D .

S . W E G G .

J . W I L K E S .

J . W E S T , V . P .

QUIN

Q U I N   E T I A M  
O M N I B U S   A C   S I N G U L I S  
E J U S D E M   S O C I E T A T I S

M E M B R I S

D I G N I S S I M I S ,   A M P L I S S I M I S ,

N E C   N O N

V I R I S   T R I S S I D

I N G E N I O ,   A C   S C I E N T I A   C E L E B E R R I M I S ,  
A M I C I S S I M I S

J O A N N I   L U L O F S ,  
J. U. ET PHILOS. D. ASTRONOMIÆ, METHESEOS ET PHILOSOPHIÆ.  
IN ACAD. LUGDUN. PROFESSORI, NOBILISS. FACULTATIS  
PHILOSOPHICÆ H. T. DECANO ETC.

J O A N N I   A L L A M A N D ,  
L. A. M. ET PHILOS. D. PHILOSOPHIÆ, MATHESEOS ET HISTORIÆ.  
NATURALIS IN EAD. ACAD. PROFESSORI.

PROMOTORI SUO ÆSTUMATISSIMO.

J O A N N I   H E N N E R T ,  
L. A. M. ET PHILOS. D. MATHESEOS IN ACADEM. ULRRAJECTINA  
PROFESSORI.

*Dissertationem hanc inauguralēm  
ea, qua par est, reverentia*

D. D. D.

A U C T O R .

EDUARDUS SPRY, M. D.



DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
IN AUGURALIS,  
DE  
ADSCENSUS VAPORUM CAUSSIS.



D E F I N I T I O.

§. I.

**B**x omnibus fere omnium naturæ regnorum corporibus particulæ multivarias in auras abire, est res quotidianæ & vernaculae observationis. In universum vero omne quidquid ex corporibus in altum elevatur *vapor*; & ille actus, quo moleculæ ex quibuscumque corporibus in aëra transeunt, *evaporatio* vel *exhalatio* adpellatur. In sensu vero strictiori placuit nonnullis *evaporationem* ab *exhalatione* distinguere, & illam ponere in transitu partium aquosarum & humidarum in aëra; hanc autem in transitione molecularum sub-

## DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>I</sup>O PHIL<sup>O</sup>SOPHICA

tilissimarum ex quocumque corpore, quæ neque aquosæ, neque humidæ sunt. *Vapores* igitur hoc sensu forent particulæ fluidæ & humidæ, quæ in aëra transferuntur. Nollem tamen vocem vaporis tam stricto sensu sumere, quoniam & usus loquendi repugnat, quem deserere philosophum non semper decet. Sic metallicolæ de vaporibus, arsenicalibus, sulphureis, mercuarialibus, loquuntur, quum tamen priores nequaquam fluidi, nec posteriores humili, licet fluidi, sint.

### CAUSÆ IN UNIVERSUM.

§. I I .

In caussas adscensū vaporum ex corporibus in aërem ab omni tempore inquisitum fuit, quamvis non semper æquo successu, dum philosophi magis ingenia sua, quam simplicem naturæ rationem, quæ fastuoso eorum, quo turgent, intellectu, minus arridet, secuti sunt. Generatim si rem spectamus, omne, quidquid particulas fluidas, aut firmas exiliores, de reliquarum consortio avellere, excutere, illis naturam aëre leviorē induere, aut vi quadam in altum protrudere valet, illud nomine caussæ adscensus vaporum insignire licet. Quicumque igitur animum applicare vellet ad indagandas caussas speciales, quibus vaporess acti in altum escendent, illum præsertim tria problemata solvere oportet, viz. qui fiat, ut reliquie

a Particulae de reliquarum societate & cohaesione separantur;

b Separatae, & a reliquarum cœtu solutae, dein in aëra dissipentur, distribuantur, eleventur?

c Tandem elevatae & distributæ sustententur.

SE.

**SEPARATIONIS CAUSÆ**

§. III.

Non simplex, sed plures sunt caussæ, quibus particulæ subtiliores a consortio, quod cum aliis alunt, exturbantur. Præcipue autem vires & efficacia ignis, aëris, motus intestini, impetus externi, vel & interni, quid in separandis, avellendis, moleculis valeant, paullulo adcuratius expendendæ sunt.

MATERIALIA

LIGNIS.

§. IV.

Quid in hoc negotio possit ignis efficere, considerandum. Mirabile hoc elementum, velocissimo, violentissimo motu agitat omnia, etiam in interioribus corporum abscondita, suoque amplexu rapaci corripit.

Dum enim ignis se in corpora penetrat, & inter moleculas se insinuando interponit, necessario efficit, ut partes non amplius se imediate, sed interposito fluido levissimo, & minori viri cohaerendi prædicto, contingent, hinc etiam necessario minori tenacitate se trahant, minus firmiter cohaereant. De hoc effectu dubitabit nemo, qui modo cogitat, quid ad emollienda & sequaciora reddenda, ligna, cornua, resinas, ceram, metalla durissima, valeat ignis. Quum nunc ejus particulae, dum agunt, in rapidissimo videntur esse motu, & æquilibrium continuo affectantes, quaquaversum aufugiant, sequitur, ut, si particulae, quarum cohaerentiam suo interpositu minuerunt,

A. 3.

ta-

## 6 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

tales sint, quæ divelli, abstrahi possint, a reliquis eas separet, & secum ad illum locum, quo tendit, abripiat.

Præterea ignis, dum omnia corpora permeat atque pervadit, necessario quoque eorum particulæ omnes expandit, rarefacit. Sic particulæ, præsertim aqueæ, quæ præ cæteris in insignem molem expandi possunt, (ut machinæ a SAVERY *nostro* inventæ docent) aëre evadere possunt specifice leviores, hinc, quoniam cohaesio cum reliquis simul minuitur, non amplius cum iisdem manent unitæ, sed secedunt. Ignis enim omnia impetuissimo motu agitat, in gyrum agit (id quod clare videre est, si guttula fluidi laminae metallicæ candenti imponitur) & sic particulæ divellit, & a reliquorum cœtu secum abripit.

A E R.

§. V.

Fluidum aëreum, quod propriæ illud medium est, quod vapores suscipit, facit etiam ad eorum separationem. Præstat autem hoc præsertim dupli ratione, viz. solvendo aquam, deinde, in interstitiis aquæ hærens, sese expandendo, excludendo, particulæ proiicit, vel & secum trahit.

§. VI.

Aër gaudet vi sese in aquam penetrandi, hinc partes aquofas eadem ratione dividere, suscipere potest, ac menstruum dividit irrependo moleculas corporis solvendi. Subire vero vicissim particulæ aquofas aëra, in ejus interstitiis dein delitescere solutas, & invisibiles esse, experientia probat; unde etiam hic

## I N A U G U R A L I S. 7

hic, quod in omnibus solutionibus chemicis evenit, ut, quum nempe interstitia fluidi solventis mutentur, mox solutio turbeatur & solutum fiat visibile, Clare hoc adparet in aëre hærente sub campana, insidente disco antliae pneumaticæ Boyleanæ. Simulac enim parum aëris extrahitur, & relictus rarescit, mox vapores ante sub sensum oculorum non cadentes, fiunt visibles, & nebulæ speciem exhibent. Et hoc phænomenon sub qualibet nova emboli extractione iterum observare licet, quamvis nubes ratione densitatis semper minuantur. Infuerunt igitur partes aquosæ, sed non adparebant, quoniam inhaerebant per speciem solutionis. Separati igitur quoque fuerunt vapores per aëra modo solutionis, ut corpus solvendum per suum menstruum in particulas minores, plerumque similes, dividitur.

### §. VII.

Quatenus porro aër in poris & interstitiis aquæ hæret, ab igne ingrediente necessario expanditur, naturam elasticam induit, in suis sedibus ergo non amplius locum sufficientem inventiens, obstacula etiam firmissima superat, particulæ renitentes repellit, elementa disjicit, atque sic partes a reliquarum confortio abreptas in auras expellere poterit.

### §. VIII.

Confert tandem aër ad separationem particularum hac ratione, dum fugam partium ignearum ex aqua auget. Vapores enim ex aquis adscendentes calefaciunt aëra in quem penetrant. Videmus hoc clare in balneo, quod medici vocant Laconicum

cum

## 8 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

cum, & in vaporosis balneis Livonum, Curonum, Russorum, Lithuanorum. Experiuntur idem etiam nostri cives, vela ad Americam Septemtrionalem facientes, dum enim ostium fluminis, a b. Laurentio denominati, ingrediuntur, si forte fortuna in vapores, frequentius ibi adparentes, devinant, sentiunt manifestum calorem, rigent vero ex frigore, quum ex vaporibus egrediuntur. Aër vero incalescens expanditur, redditurque levior, hinc ex gravitate specifica imminuta, quoniam ab ambiente frigido cingitur, adscendit, & in ejus locum novus frigidior succedit, in quem protinus de novo, ex corpore subiecto calidiori, igneæ partes, subtiliora aliorum corporum secum abstrahentes, transeunt.

### MOTUS INTESTINUS VARIUS.

§. I X.

Motus intestinus, qui in corporibus inter eorum partes constitutivas obtinet, sistit potentiam efficacissimam, ad separationem aliarum & aliarum partium concurrentem. Motus vero molecularum corpus constituentium inter se, sive verbo *intestinus* duplex est, alter qui a fluiditate sola pendet, & quo partes in continua loci sui mutatione & agitatione, a caussa plerumque externa excitæ, versantur; alter, qui in miscione corporum mutanda præsertim efficax invenitur, & quo elementorum alia ab aliis segregantur, discerpuntur, novasque iterum compositiones subeunt, ut corpus inde plane alias qualitates, aliamque naturam, adquirat, quam antea habuit. Referimus vero huc *fermentationem*, *putrefactionem*, *solutionem*, *effervescentiam*.

B

§. X.

Habent priores naturæ actiones, fermentationem & putrefactionem puta, communia, habent etiam sibi priva. De illis tantum, quatenus scopum meum seriunt, in præsentia dicam. Ignis & aër efficacissima in his naturæ operibus existunt instrumenta; licet & sales in ciendo motu intestino multum valere Chemicæ nos edoceant. Confert vero initio in fermentatione & putrescentia plerumque calor externus, qui corpori mutando insinuatus, intima penetralia pervadit atque agitat. Præterea aër ex statu fixo in elasticum mutatur, qui hinc se expandendo particulas, inter quas ponitur, ex reliquarum cœtu exturbat, & dum excussus adscendit, nonnullas ex loculis suis extrusas ante se protrudit, ad superficiem defert, immo ibi bullulas format, quæ dum crepant, fluidum elasticum subito dimittunt, quod aufugiendo particulas quasdam secum in aëra deferre potest. Deinde sub illo motu intrinseco generatur calor internus, qui, ut supra jam (§. IV. & VI.) observatum fuit, separationem efficit, & aëra reddit magis elasticum. Denique in his operationibus sales in corporibus delitescentes extricantur, per calorem fiunt subtiliores, activiores, qui exasperati incipiunt quoque invadere inflammabiles, unde aliæ partes destruuntur, major calor nascitur, & omnia ante memorata majori gradu contingunt.

In solutionibus accedit aliud. Menstrua, in quibus corpora tabefunt, inter particulas dissolvendas penetrando, has extra

## 10 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

contactum immediatum ponunt, minus cohærentes reddunt, dividunt, aëra inclusum perfractis repagulis liberant, qui data porta non raro cum leni strepitū erumpit, quoniam occasionem se subito expandendi nanciscitur, & sub hoc tumultu multas particulas etiam conspicuas secum abripit, & ad pollicis, vel ultra, altitudinem elevat, mox relapsuras. Chemica hoc genere exemplorum abundat, & quilibet vera esse, quæ diximus, deprehendet, qui modo attentius lustravit, quid in solutione martis, cretae &c, in acido vitriolico facta, contingat.

### §. X I.

Effervescentia idem præstat. In hac corpora in se feruntur, vel ex amicitia, vel ex inimicitia, unde cum strepitū se invicem adgrediuntur, & conflictum ineunt, aut efferato impetu in mutuos amplexus ruunt. Quidquid horum sit, nobis perinde erit, hoc certum est, quod tumultu absoluto se arctius uniant, in unum corpus confluant. Sub his vero turbis, aut calor excitatur, qui agit ratione (§. IV.) jam exposita; aut aer excutitur, qui exeundo partes secum abripit; aut ob impetum ipsum particulæ deteruntur, derasæ projiciuntur.

### I N C U R S U S.

### §. X I I.

Supereft & alia separationis cauſa, nempe impactio, dum aqua vel in corpora dura elastica impingit; aut aer commotus in eam irruit; aut tandem etiam particulæ aquosæ ab aliis viribus protrusæ segregantur.

Quum

## §. X I V.

Quum moleculæ aquæ ultimæ sint particulæ duræ, sequitur, ut aqua, dum in aliud corpus durum, elasticum incursat, ex reactione diffiliat in partes minores, quæ quaquaversus repercussæ, in auram sæpe ad insignem altitudinem projiciuntur. Probat dicta experientia in cataractis, ubi flumina sæpe de rupibus altioribus in loca humiliora præcipitantur. Perpetuus enim vapor & nebulæ tractus terræ vicinos tegunt. Est hæc res quotidiana experientia cutadupis, qui ad cataractam fluviij Niagaræ in Canada nostra habitant, ubi aquæ præcipites ex altitudine CLVI. pedum lapsæ, in particulas minimas disruptæ, nubem spissiorem formant *Conf. Transact. Philosoph. N°. CCCLXXI.* In insula quoque nostra Jamaica fluvius Mamee, catadupa formans, simile sistit phænomenon. *Conf. Browne's History of Jamaica. p. 29.* Memini quoque in cataracta Rheni prope Scaphusium in Helvetia, dum iter per eas regiones ante plures annos instituebam, me eadem observasse.

## §. X V.

Sed & ipse aer, quatenus de loco in locum transfertur, & ventum constituit, necessario in superficiem aquarum impingit, & partes de confortio reliquarum divellit, aut ab aliis cauissis (§. III. & VI.) jam separationi proximas, vel jam separatas, facilius aufert, abstrahit. Impetum enim aëris, quo agit in obstacula, ipsi posita, non parvum esse, monstrant molendinæ, & experiuntur nautæ, interdum etiam non sine damno,

12 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

dum malos, rates, antennas, fractas & quassas; vela vero, funesque ruptos vident.

— — — *Gravis Æolio quum ventis profilit antro  
Fertur in arva ruens, & silvas sternit opacas.*

Ne dicam de arenæ collibus, quos ventus sëpe in Arabiæ desertis de uno loco in alterum transfert, & peregrinatum cœtus integros tectos delet. Vela hinc madida expansa a vento brevissimo tempore exsiccantur. Experimentum, quod proprius ad meum scopum valet, & quod aperte vim aëris commoti in abripiendis particulis aquosis probat in non nullis officinis halotechnicis obvium est. Quod si enim folles majores lebetibus, qui muriam calidam evaporandam continent, adaptantur ita, ut aër efflatus, superficiem fluidi verat, intra idem temporis spatium duplo, immo non raro triplo plus salis ad crystallisationem perducunt, quam ubi aër circumfusus non movebatur. Calorem enim & ventum viribus coniunctis plus præstare, quam si alterutrum solum adhibeatur, probatione non eget. Quod hic folles præstant, idem in terra marique præstat ventorum vis, præsertim fiscorum, quorum interstitia nondum saturata sunt. LUCRETIUS de hac re jam cessavit lib. VI.

*Tum porro venti magnam quoque tollere partem.  
Humoris possunt, verrentes æquora Ponti,  
Una nocte vias quoniam persæpe videmus  
Siccati, mollisque luti concrescere crustas.*

§. X V I.

Sæpe quoque alia caussa intrinseca propellens (§. XIII.)

par.

# INAUGURALIS.

13

partes fluidas ad superficiem corporum deferens, a qua deinde eas, aut modo solutionis (§. VI.) aut impetu (§. XIII.) aer ambiens suscipit, accedit. Respicio hic praesertim id, quod sit in corpore animali, & etiam vegetabilibus. In illis manifesto actuosum, quod ut cum CICERONE loquar se ciet motu suo, eorum organa & partes agitat, moleculas subtiliores ad superficiem cutis, vel & viarum aeriferarum, deponit. In vegetabilibus, quae in copia perspirationis animalia superant, fortassis analogum principium vitale eamdem actionem praestat, nisi motum fluidorum in his, quod tamen probabile non videtur, a meritis causulis externis derivare malles.

## ELEVATIONIS ET DISTRIBUTIONIS.

C A U S A E.

§. XVII.

Proximum jam est inquirere, quomodo moleculae solutae, abrasae, vel quacumque ratione separatae (§. IV. ad XIV.) in aera eleventur, & in ejus poris seu interstitiis distribuantur. Notentur hic ignis, materia electrica, gravitas specifica vaporum minor, attractio, motus intestinus & externus.

I A G N I S.

§. XVII.

Ignis non solum separat moleculas aquofas, sed etiam in aera frigidorem secum abripit, dum quacumque directione ex corpore magis calido in aera gelidum rapidissimo motu fertur.

B. 3.

pore.

## 14 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

Posse enim ignem aëreas elevare patet ex eo, quoniam & metallicas, a reliquis abstractas, secum aufert. Exemplum habemus in officinis fabrorum ferrariorum. Ferrum enim, ubi inter prunas ardentes ope follis probe candefactum est, quam primum ex foco extrahitur, atque aëri exponitur, magnam molecularum cudentium vim quaquaversus, & ad aliquot pedes, proicit spargitque; quamdiu vero adhuc carbonibus obrutum erat, nequaquam talis observabatur partium quaquaversus contingens explosio. Particulae hæc abrasæ, nec à pressione aëris ambientis; nec ab adscensu ejusdem ex gravitate specifica minuta; nec ab aëre intus hærente elasticò reddito jaculantur. Prius enim esse nequit, quoniam hæc motui extorsum directo potius resistit; secundum si foret, deberent cum aëre calefacto & hinc leviori, tantum sursum escendere, sed sparguntur quaquaversus; tertium si obtineret, deberet idem fieri, & quidem majori gradu, dum adhuc inter carbones ferrum hæret, id quod tamen non observatur. Unica igitur causa hujus transitus in aëra est ignis, qui partes has emollitas, atque a reliquis fere sejunctas, secum abducit. Quum igitur ignis abreptas particulas metallicas, quæ aqua septies sunt specificè graviores, atollere possit, cur non vaporess aqueos? Et sane non est, cur dubitemus de hac re, quia experientia eadem probat. De aquæ fervidissimæ superficie, si aëri liberiori exposuitur, copiosissimi globuli aquei ratione magnitudinis granum milii æquantes adscendent, dum interim superficies quiescit. Ipsa urina tempore hiemali calida, pélvi excepta, hoc phaenomenon exhibet, qui adscensus tamen cum refrigerio aucto decrescit. Sic oleofæ, terreæ, atque salinæ partes, quas ignis de pabulo suo extorsit, ab eodem elevantur, & camino sub

no.

nomine fuliginis se adfigunt. Quin etiam metalla graviora, non solus mercurius, sed omnia reliqua, immo ipsum aurum alias fixissimum, si acido salis attenuatum est, encheiresi chemica sublimationi resistere non possunt.

### VIS ELECTRICA.

#### §. XIX.

Eteor adscensum ex hac caussa (§. XVIII.) ad magnam altitudinem fieri non posse, ignis enim aequilibritatem adficiens, cito vapores iterum relinquit, hinc cessante caussa elevante iterum cadunt. Alia igitur querenda erat elevandi ratio, & hanc nostri ævi physici in vi electrica felicissime invenierunt.

Aërem materiae electricæ esse plenissimum ex physicis satis patere arbitror. Præterea quoque vapores aqueos materiae electricæ esse sicutientissimos, hanc avidissime imbibere, tenacissime retinere, experientia docuit physicos. Si itaque vapes ad parvam modo distantiam ex caussis antea (§. IV. ad XIV.) memoratis abrepti fuere, protinus torrente electrico imbuuntur, & hæc materia circa quamlibet particulam format atmosphærā (hanc enim majori copia corpora circumdare posse experimenta testantur), unde enascitur volumen compositum, in cuius centro hæret particula aquæ, aëre specifice levius, quod hinc necessario adscendit. Deinde particulæ subsequentes eadem ratione torrente electrico imprægnantur, hinc antecedentes quaquaversus repellendo propellunt. Quum igitur partim ob expansionem (§. IV.), partim ob materiem electricam ambientem, & atmosphærā circum particulas consti-

## 16 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

tuentem, vapores leviores sint aëre, in hoc necessario ex legibus hydrostaticis escendent. Ad majorem vero ex hac causa pervenire possunt altitudinem, quoniam non solum velocitate quasi fulminea, sed & perpetuo, hanc materiem imbibunt, eamque tenacissime, diutissime, retinent. Tanto felicius quoque fiet hæc elevatio, quo siccior est aér, quia plus materiæ electricæ in suo sinu gestat, hinc vapores largius imprægnat. Halitus vero eo sublimius niti, quo uberiori torrentis electrici copia perfunduntur, inde patet, quod eo vehementius se repellant, & eo leviores evadant.

## GRAVITAS. SPECIFICA.

§. XX.

Sed & gravitatis specificæ, & legum hydrostaticarum hic ratio habenda est. Corpus quocumque, sibi relictum, si in fluido ambiente specifice graviori hæret, non solum in altum nititur, sed etiam ad superficiem evadit illique innatæ; aut si fluidum, pro varia altitudine, varias habet densitates, in stratis superimpositis, semper gravitate decrementibus, eousque se atollit, donec perveniat in stratum, quod cum eo æqualem habet densitatem. Hæc omnia ex hydrostaticis nota ponere licebit.

Aqua ab igne expandi potest, & quidem ad volumen prorsus stupendum, ut machinæ a *nostro SAVARY* elapso sæculo ex cogitatæ, & apud *nostros* tam utiles inventæ, demonstrant. Experientia docuit eousque expandi posse aquam ab igne, ut compositorum volumen 14000. rarius sit aqua, hinc ipso aëre, (cujus gravitas specifica est ad aquam ut 1. 1000.), specificæ

16-

levius existat. Necessitate itaque naturæ, ex legibus mox emmoratis, particula abrepta expansa, sese

*Protinus ætherea tollit in astra via.*

Sed quoisque? nequaquam in summa atmosphæræ telluris loca. Aëris enim densitas ex natura atmosphæræ decrescit in ratione inversa distantiarum; hinc eo densior, quo propior, & eo rarer, quo remotior est a superficie terræ. Eo celerius itaque, ac eo majori cum impetu, particulæ abrasæ, & in confinia atmosphæræ universalis delatae, superiora petunt, quo viciniores sunt ambitui terræ, & eo tardius, quo magis ab eo ausfugiunt; immo tandem cessant adscendere, quoniam strata aëris quo sublimiora, eo leviora evadunt; vel & particulæ iterum condensentur.

Præterea ante jam observavimus (§. XIX.) moleculas in aëra delatas protinus materiam electricam imbibere, atque hanc circa eas atmosphærā formare, & sic nasci volumen compositum, aëre ambiente specifice levius. Ex hac itaque caussa vapor iterum superas evadit in auras, quamdiu conditio posita obtinet. Valet hic quoque, quod antea jam monuimus, nempe eo velociores sursum moveri particulæ, quo viciniores; & eo ignaviores, quo magis a superficie terræ sunt remotæ. Immo, si contingenteret, ut naturam, quam induerant, iterum deponerent electricam, plane non amplius escendent, sed potius præcipites labuntur. Porro quoque diversitas obtinebit, quoniam aër atmosphæricus non omnibus terræ tractibus æquali gravitate specifica gaudens incumbit. Ubi igitur gravior

## 18. DISSERTATIO PHILOSOPHICA

existit, ibi altius adscendunt vapores, præsertim si simul uberiori materia electrica cinguntur.

### ATTRACTIO.

#### §. XXI.

Nec hæc inter caussas elevationis vaporum silentio præ-reunda est. Supra jam (§. VI.) notatum fuit aëra & aquam se mutuo solvere. Aqua igitur in nostro casu, tanquam corpus solvendum, in particulas minores divisa (§. cit.), se penetrat in interstitia aëris eadem ratione, ac sacharum, vel sal aquam, aut resinosa spiritus ardentes & oleosa, subeunt. Facillime quidem largior, distributionem, si ex hac tantummodo caussa fieri deberet, tardissime procedere; menstruum enim aquosum, vel spirituosum, potest corpori salino, vel resinoso impositum, in loco quieto stare per longius temporis spatium, antequam æquabiliter distribuitur. Quod si autem impulsus, agitatio, accedunt, in momento fit, quod antea non nisi tardissime perficiebatur.

### MOTUS INTESTINUS.

#### §. XXI.

Quantum hic valeat facillimo negotio patebit. In fermentatione & putrefactione nascitur calor, qui memorata ratione (§. IV. & XVIII.) agit; vel extricatur materia elastica, quæ expandendo partes projicit. Confirmant dicta experimen-

ta

ta chemica innumerabilia. Sufficiat unum adduxisse. Herba cochlearia, si recens imittitur cucurbitæ, & adaptato alembico, exponitur corruptioni spontaneæ, excutit salem volatilem, capitello feso adfigentem, a solo calore per putrescentiam nato elevatum. Dabo aëra hic concurrere, sed hic sine calore (§. X.), nihil effecisset.

Solutionis & effervescentiæ (§. XI. & XII.) vim in elevandis quoque particulis aquosis nemo negabit, qui semel tantum solutiones chemicas, quæ cum impetu fiunt, attentius inspexit; aut corpora manifesto inter se pugnantia miscuit. Globuli enim conspicuæ magnitudinis, non ad parvam altitudinem, aut a calore nato, aut ab aëre excusso, aut ab efferto motu, quo in se invicem feruntur, projecti, cuilibet, etiam oculis nudis quid contingat lustranti, adparent.

### I M P E T U S E X T E R N U S.

#### §. XXIII.

Tandem & quid hic in attollendis vaporibus possit, vel verbo monendum est. Incursum etiam aliquid valere ad elevationem, ex iis quæ supra attulimus (§. XIV. & XV.) evidens est. Ventum vero, ex quacumque causa generatum, non solum in elevandis, sed etiam de loco in locum transferendis, vaporibus, præpotentem esse, ostendunt effectus, quos in movendis aliis corporibus multo gravioribus edidit. Observavimus jam supra (§. XV.) nubes arenosas in desertis Arabiæ locis sæpe peregrinatores adeo periculose infestare, ut etiam Cambysis ad Jovem Ammonem missi exercitum more ni-

## 20 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

vis arenā obrutum legamus. Quam multa loca olim fertilissima, hodie sterili siccaque arena tecta videmus. Quim igitur tanta ventorum vis in corpora ponderosiora existat, cur eamdem in vapores negemus? Eadem enim vis, quam supra (§§. cit.) in separatione efficacem evicimus, etiam continuata in attollendis, transvehendis vaporibus non parvi momenti existit.

**S U S T E N T A T I O.**

**§. X X I V.**

Qui fiat, ut particulae a reliquarum cœtu separatae extrubentur, exturbatae eleventur, distribuantur, satis dictum esse arbitror. Perventum ergo est ad tertium capitulum, ubi nempe quæritur quæ sit sustentationis vaporum in aere harentium caussa. Particulae enim corporum palpabilium vaporosæ, quum ex sua priva natura sint aere specificè graviores, deberent necessario ab æthiere summo in terras protinus delabi, nisi caussa quædam adesset, quæ illas præcipites esse non sineret. Cogitanti & paullo diligentius consideranti, quæ in antecedentibus disputavimus, posset quidem in mentem venire sufficere ad retinendas particulas, si caussæ elevantes modo pergerent agere. Tantum vero abest, ut ego hoc negem, ut potius ipse defendam, modo eæ cum diuturniori constantia agere pergerent. Sustentant igitur quoisque præsentes sunt. Operæ pretium ergo facturos esse credimus, si, quid etiam motus, ignis, materia electrica, atque attratio in sustentandis vaporibus valeant, brevibus expendamus.

## MOTUS.

§. XXXV.

Motum aëris ad fulciendas particulas graviores, in fluido leviori hærentes, aliquid conferre posse, monstrant aquæ fluminum turbidæ. Aqua enim pluvialis cum impetu ex motu accelerato in terræ superficiem cadens, abripit moleculas terræ varias, dum pergit confluere in rivulos & flumina majora, eas secum defert, & saepe ad insignem distantiam abducit, donec tandem fluentum lentius procedens particulas illas ex defectu motus non amplius sustinere valeat. Cadunt ergo particulæ, & aqua sola mora iterum fit pellucida, & superstat clara. Sic videmus aëra commotum ovula infectorum, arenas, cineres tempore incendiorum magnorum ad insigne non raro spatiū transvehēre, id quod præstare non posset, nisi per aliquot tempus ea sustineret. Pulvisculos quoque solidorum, seu atomi, ab aëre ope perpetui motus, qui in illo obtinet, sustentari, in radiis solis in locum tenebricosum illabentibus evidentissime animadvertisimus. Sed quis non videt hanc sustentationem, præsertim priorem, esse admodum caducam, & corpora saepe subito præcipitia labi. Tendandum igitur, an constantius agentes caussas detegere lieget?

## GNAIES.

§. XXXVI.

Particulæ ab igne penetratæ, in majus volumen auctæ,

## 22 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

donec aëre specificē leviores evaserint (§. IV & XVII.), tolerantur quidem in aëre, quamdiu hæc conditio obtinet. Diut autem eam manere non posse patet cuilibet consideranti, quam cito ignis, elementum mobilissimum, ex corporibus iterum avolet, hinc de his particulis elevatis valebit, illud: tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

### MATERIA ELECTRICA.

#### §. XXVII.

Immobiliori constantia videtur particulas in aëre sustinere torrens electricus, quippe quem pertinacissime plerumque particulæ vaporosæ retinent. Diutius igitur ex hac cauffa (§. XVIII.) vapores elevati servabuntur, partim ob virtutem, qua se mutuo repellunt, & sic quoque perpetuum motum excitant; partim ob atmosphærām ambientem electricam, quā redduntur leviores, hinc necessario in aëre natant. Tanto vero constantius sustentabit aér vapores, quo simul densior existit; & hinc tempore hiemali & frigidiori multo melius retinebit eosdem, quam tempore aestivo, ubi frequentiores pluvias imbruesque experimur.

### A T T R A C T I O.

#### §. XXVIII.

Quum vero nullus detur aér, quamvis siccissimus ad sensus videatur, qui non particulis aquosis majori, minori, copia gravidus sit, & quæ per experimenta demum percunctanti inno-

te-

tescunt, humectando nempe alcali fixum causticum, vel liquefendo oleum vitrioli glaciale, quippe quæ corpora sunt aquæsitioneissima, dubitare non possumus, quia constantior quedam causa retentionis subsit. Ponerem ergo hanc quoque in solutione (§. VI.), solutæ enim, & ab aëre attractæ, particulæ in ejus intersticiis, tanquam in loculis tutissimis, immotæ hærent. Quo major viget numerus punctorum contactus in duobus corporibus sese attrahentibus, eo major videtur esse cohaesio ex attractione oriunda. Quum igitur per principia Geometrica, superficies corporum tanto major sit, quo in minora corpuscula divisa sunt, patet terminum esse posse, quo superficies particularum ex divisione aucta, tam parva sit, ut vis partium ærearum attrahens supereret pondus vaporum. Quamdiu igitur vapores interstitia undique exacte replent, tamdiu undiquaque æqualiter attractæ, quaquaversus æquali quoque vi tendunt, hinc quiescunt in aëre, ut corpus solutum in suo menstruo solvente. Primaria itaque sustentationis causa videtur esse attractio. Id quod sententiam hanc magis confirmat est, quod eadem phænomena sistant vapores & aér, quam alia corpora in suis menstruis soluta, nempe simulut interstitia mutantur eo momento fit particularum solutarum excussio. Sic solutiones saturæ, calidæ, si in locum transferuntur frigidum, partem materiæ exentiunt, quoniam interstitia solventis a frigore, omnia condensante, minuuntur. Idem observamus in aëre. Si enim hic calidior, vaporibus gravidus, v.g. ex pulmonibus animalis calentis in aëra æque calidum exit, nil vaporis adparet; si autem idem ille aér tempore hiemali de trachea animalis æstuantis in aërem ambientem frigidorem

## 24 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

transit, mox densatur, hinc ejus interstitia fiunt minora, excutiuntur particulæ superfluæ, nascitur præcipitatio, atque vapores fiunt visibles. Crederes igitur, quum tanta similitudo intercedit cum solutionibus, eamdem in sustentatione vaporum, ac in illis, operari caussam, attractionem puto. Accedit aliud pro hac opinione militans argumentum. Aër selenus gravior est aëre nebuloso, in illo enim vapores in statu perfectæ solutionis hærent; in hoc autem ab aliis caussis sustentantur (§. XV & XXV.) hinc nequaquam gravitant, dum in hoc elemento hærent, atque aër per observationes barometricas observatur levior.

## C O N S E C T A R I U M.

## §. XXXIX.

Hactenus caussas adscensus vaporum in universum spectavimus. Sequitur, ut, quæ sigillatim disputavimus, ad superficiem terræ adplicemus. De hac copiosissimi vapores aquosi in atmosphærā ex caussis supra enarratis (§. IV ad XVI.) producent, præsertim vero calor in horum adscensu multa operatur. Calet tellus.

a. *Calore subterraneo.* Thermæ, montes ignivomi, incendia subterranea, & calor sæpe ingens, quem experiuntur non raro metallicolæ, immo calor, quem quilibet in locis profundiорibus terræ percipit, hanc rem satis superque testantur. Calor hic agitans omnia, excutit de reliquarum consortio aquosas partes, & secum in aërem frigidorem circumfusum abripit. Inde rationem reddere possumus, cur scaturigines perennes,

nes, de visceribus terræ ad radices montium prorumpentes, tempore hiemali, quum sœvit gelu acrius, fumos aquosos eructent; & cur flumina inde derivata, antequam a frigore acuto penetrato consistunt, fument.

*B. Calore solis.* Quum igitur tempore diurno, præfertim si nubes absunt, ventique silent

*Solari tellus semper subjecta calor i  
n caluit, partes volatiles agitantur, separantur, exhalant qui  
dem semper, magis tamen simul ac*

*Hesperias Phœbus descendit in undas.*

Aër enim minus tenaciter retinet calorem, quam terra, vel aqua, hinc aër citius frigescit, & ignis copiosius ex his in illum transit, & particulas secum abducit abundantius (§. IV & XVIII.) Accedit, quod aër refrigeratus magis condensetur, atque soliditas particulas ex loculis interpositis excutiat, ut hinc præcipitatio (§. XXVIII.) nascatur.

Posset hic adhuc quæri, cur tamen vaporess ad superficiem terræ, vel aquarum, tam spissi adpareant, antequam sol

*æquoreis se tollit ab undis?*

Ratio hujus meteori mihi videtur esse sequens. Radii solares, sedes atmosphæræ altiores maturius stringunt, quam inferiores, hinc illæ jam fervent, dum inferiores adhuc frigent. Particulæ igitur igneæ ex stratis superioribus se penetrant in inferiora, terræ viciniora, & secum vaporess adducunt, qui,

## 26 DISSERTATIO PHILOSOPHICA

quum omnes solvi, & ab interstitiis locari non possint, prope superficiem terræ conspicui fiunt. Dein pars atmosphæræ superior, dum a radiis solaribus illabentibus incandescit, magis quoque rarefit, hinc interstitia aucta desinunt æqualiter attrahere partes aquofas ibi delitescentes, quæ hinc non amplius sustentatæ præcipitantur, & inferiora petunt. Aut alio modo adhuc latente sol vapores, uti loquuntur, deprimit, & tunc, ut cum CICERONE loquar, hoc phænomenon rationem quam habeat, non satis perspicio: vim & eventum agnosco, scio, adprobbo.

## DESCENSUS VAPORUM.

Vel verbo etiam ex cognatione argumenti, quod disputavi, descensus vaporum caussæ attingendæ sunt; latius enim hanc rem tractare instituti ratio vetat. Quomodo vapores, quos ad loca altiora deduxi, iterum descendant, ex disputatis facillimo negotio patebit. In universum præcipitantur, dum caussæ elevantes agere desinunt. Cadunt igitur modis multi variis. Hinc præcipites dantur, quum calor (§. IV. & XVIII.) rarius stabilis, & jugi refectione egens, eos deserit; aut materia electrica, (§. XIX. & XXVII.) aufugit, abripitur, destruitur; aut motus aëris (§. XXV.) desinit; aut conditiones, quæ ad attractionem æqualem (§. XXVIII.) requiruntur cessant, viz. si interstitia aëris nimis augmentur, aut nimis minuantur, in rarefactione, vel condensatione a calore, vel frigore, aliisque a caussis; aut gravitas specifica aëris (§. XX.) mutatur; aut plures particulæ a vento, vel aliis viribus compinguntur; aut vapores inter se pugnantes sibi invicem occur-

currunt; aut majori copia adscendunt, quam aëre supersatura-

tus sustinere valeat, &c. *Debericem etiam confidem iuri.*

*Debet etiam a rebus fortius fortioribus incipere, magis*

*deinde latenter, propter quod fortius fortioribus aduersitatem*

*perire possit, sive in secessione, sive pericula cum ambigua*

*difficiliter perspicere possunt. At si oī mōdo*

*Fateor plura non solum de his (§. præced.), sed etiam de*

*prioribus, nempe evaporationibus, quæ solius naturæ viribus*

*perficiuntur, & de iis, quas chemicus, in sua officina naturæ*

*opera imitans, variis adminiculis obtinet, enodanda superesse.*

*Sed quum hæc ultra dissertationis limites me ducerent, & ad-*

*huc plus temporis (cujus tamen penuria, dum in hac regione*

*versor, me proh dolor! nimis pressum sentio) absumerent;*

*hic subsisto.* *Conatus nostris L. B. ut saveat obscurio-*

*tae et sagittæ iniurie, ex quibus*

*ad loca stilois deponit, remittit delegendit, quoniam*

*collimmo debemus barbare. Ita nunc Auctor*

*et leviter eleveretur ab ore dictum est. (¶. VI. §. XVIII.)*

*Autem Hinc paxim patitur, quoniam dicitur; sicut illa*

*est latens fœpilia, & non potest manifestari, sicut coniunctione*

*terrena exigitur; & non potest manifestari, sicut coniunctione esse-*

*debet, sicut & ista. Igitur ut manifestari possit, sicut latens fœ-*

*pius, in ista latente coniunctione a cetero, aet-*

*eruntum, in ista latente coniunctione a cetero, aet-*

*eruntur, sicut latentes coniunctas pœnitentes satis (¶. XX.)*

*gigantes, sicut latentes coniunctas pœnitentes satis (¶. XX.)*

*conciuntur, sicut latentes coniunctas pœnitentes satis (¶. XX.)*



# T H E S E S.

I.

*Sine logica naturali artificialis nulla est.*

II.

*Ut propositio ponit cogitationem relationis duarum ideorum: sic syllogismus duarum propositionum.*

III.

*Entia, quæ nulla alia, quam negativa praedicata habent, existere nequeunt.*

IV.

*Essentiæ rerum sunt immutabiles.*

V.

*Deus contradictoria facere non potest.*

VI.

*Mens sui conscientia, suam propriam naturam ignorat.*

VII.

*Mentem alicubi in capite habitare, cum CICERONE statuo; ubinam vero? nescio.*

VIII.

*Resistentia est vera actio.*

IX.

*Natura in producendis effectibus nec majorem, nec minorem, sed sufficientem, adhibet vim.*

X.

*Sine analysi sublimi in physica mathematica nulla salus.*

XI.

## X I.

*Summa virium post conflictum, in corporibus elasticis, summae virium ante eundem aequalis est.*

## X II.

*Sine attractione nulla solutio potest esse constans.*

## X III.

*Fluida pressa tendunt quaquaversus, moventur tamen illuc, ubi minor est resistentia.*

## X IV.

*Fluida non in ratione massæ, sed altitudinum premunt.*

## X V.

*Datur attractio Newtoniana.*

## X VI.

*Gravia sunt leviora sub æquatore, quam circa polos.*

## X VII.

*Gravitas ab æthere subtiliori premente non pendet.*

## X VIII.

*Elasticitas aëris potest destrui.*

## X IX.

*Aër fixatus potest mutari in elasticum solutione, effervescentia, fermentatione, putrefactione.*

## X X.

*Aër fixatus est ex præcipuis cohaesionis caussis.*

## X XI.

*Elasticitas aëris in cryptis subterraneis hærentis calore, pressione, atque evaporatione augeri potest.*

## XXII.

XXII.

*Lux & ignis inter se differunt.*

XXIII.

*Lucem non in instanti propagari, sed tempore indigere, statu.*

XXIV.

*Solum frigus glaciem producere non videtur.*

XXV.

*Materia electrica potest esse terræ motuum causa.*

XXVI.

*Tonitru & fulgor possunt esse phænomena electricitatis.*

XXVII.

*Aer respiratione animali saepius adhibitus experimentis electricis non favet.*

XXVIII.

*Distributio corporum animalium secundum tria regna non est completa.*

XXIX.

*Condensatio plumbi ejus gravitatem specificam minuere videtur.*

XXX.

*Non omnes maculae soli inhaerent.*

XXXI.

*Solem quiescere, telluremque circa eum moveri, ex phænomenis colligitur; neque id S. litteris adversatur.*

XXXII.

*Vera longitudo maris ex declinatione acus magneticæ bucdum eruit nequit.*



